



Inde Valachi Transylvanorum castra diripiunt (in quibus multum præda repertum, interque cætera machinæ quadraginta quinque) & Viseburgum profecti, magno civium gaudio, & congratulatione excipiuntur. Vaivoda post pugnam, statim vias obsidere jubet, & in omnes partes mittit, qui Cardinalem fuga retraherent. Interea Bathorius, Istvan Cardinalis agnatus copias, quantas potest, contrahit, quas opponeret Vaivodæ: præcipuè in Polonis spem reponens: quæ tamen ei citò, postquam Rex per universum regnum edixisset, ne quis contra Cæsarem arma ferret, erepta fuit. Nemine ergo resistente, Vaivoda Clauseburgum, mox Hostiam deditione capit: unde Istvan elapsus, Somblij postea à Georgio Bastâ fuit interceptus. Sola restabat Vinaria præcipuum iis in locis munimentum, magnoq; præsidio firmatum: quod & ipsum tamen labore non magno fuit receptum. Tandem Cardinalem Bathorium Valachi, qui ad eum persequendum missi fuerant, in fuga cum septem familiaribus trucidarunt: & caput cervicibus abscissum, lanceæque infixum, ad Vaivodam retulerunt: qui confestim corpus perquiri, & Viseburgi magnifico sepulchro, quod Cardinalis fratri suo, Sigismundi Bathorij jussu, interfecto fecerat, inferri jussit. Idem brevi tempore unversâ regione potitus, Transylvanos in Cæsaris fidem recipit, & ab eis vicissim, ut Cæsaris Legatus, eâ lege recipitur: ut in Cæsaris ditionem

ipfi